

cclxvi. Si pars læsa, quæ sanari debuit, vulneretur a iudice, natura offert remedia curandæ plagæ idonea.

cclxvii. Justitium quid et quotuplex sit.

cclxviii. Ad jurisdictionem criminalem rite perspicendam in primis notio pœnæ exponitur.

cclxlix. Qui jus habet infligendi pœnam, ejus *subjectum activum* dicitur.

ccl. Delinquens *subjectum passivum* est. Utrique *subjecto* sua jura et obligationes inhærent.

ccli. Ad notionem pœnæ, ejusque *subjecti activi* et *passivi* adjungenda est notio delicti:

cclii. Proportio pœnam inter ac delictum:

ccliii. Pœnarumque varia indoles;

ccliv. Ex quibus præcipua jurisdictionis criminalis capita determinantur.

CAPUT X.

Per potestatem legislativam non modo fini civitatis immediate consulitur, sed etiam omnia media fini consentanea in usum deducuntur; ut adeo potestas legislativa velut anima corporis civilis, ac leges, ceu totidem operationes ejusdem animæ spectari debeant.

cclv. Si medicamentis comparantur leges, per quas arcentur morbi, vel curantur, earum tractatio recte ad calcem rejicitur jurisprudentiæ publicæ; quia interna corporis civilis constitutio, ejusdemque operationes atque etiam morbi ante noscendi sunt, quam empyricorum more, nulla præmissa theoria, ad medicamentorum notitiam procedatur. Prima igitur se offert notio legis, ejusdemque ab actibus analogis differentia.

cclvi. Dein finis et materia legum dispicitur:

cclvii. Ea materia sunt actiones, quas aliter atque aliter lex attingit.

cclviii. Singularem mentionem illud desiderat legum genus, quod in præsumptione periculi fundari dicitur.

cclix. Difficile non est ex dictis concludere, quid sub legem non cadat.

cclx. *Subjectum activum* legis est imperans.

cclxi. Forma legis in promulgatione sita est.

cclxii. Eiusdem efficientia vero in obligatione;

cclxiii. Quæ conscientiam et forum internum afficit.

cclxiv. Qui legi servandæ subjacent, *subjectum passivum* nuncupantur;

cclxv. Quale censetur ipsum etiam territorium imperantis. Ad hæc capita diversæ de legibus quæstiones et controversiæ referuntur.

INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

LIBER IV.

JUS NATURALE GENTIUM.

CAPUT I.

Notio gentis, et juris gentium, ejusdemque principia.

cclxvi. **P**RIMA est, cum de multitudine vel turba hominum, aut familiarum agitur, quæstio definitiva, utrum *gentis* nomine vere comprehendatur. Secus enim humanitatis ea quidem et privatorum, non autem gentium jure gaudet. Similis est quæstio, cum secta hominum, ex quadam religionis formula viventium, Ecclesiam Christi se nominet.

cclxvii. Est quædam inter physicas personas, et morales similitudo; tamen negotia sunt quædam gentium propria, non item singulorum. Unde ob ipsam negotiorum naturam, gentiumque notionem speciatim tractanda veniunt ea, quæ a privatis ad publicas personas tradu-

cuntur, naturæ jura. Idcirco acute dispiciendum est, quid ratio multitudinis civili nexu colligatæ ad privatorum jura et officia addat, vel de illis detrahat. Sunt quædam in omni statu plane eadem, et immutabilia; cujusmodi sunt, quæ de finibus, eorumque ordine, gradibus, aptisque illos consecrandi rationibus sunt constituta. Universi non minus subsunt providentiæ supremi Dei, ac singuli; utrinque necesse est, ut prima ratio et summus religionis sit favor: neque enim posito civili statu minus adstringimur Deo, ac in statu primigenio. Et quemadmodum privatorum negotia, aut officia minorum societatum obesse non debent officiis religionis; sic neque probari possunt illæ civitatis leges, aut ea politia, quæ religioni ac sempiternæ civium saluti officiant.

cclxxviii. Personæ morales mutuis juribus et obligationibus afficiuntur salva libertate et independentia. Ex quo jus gentium naturale, idemque universale oritur.

CAPUT II.

Officia absoluta gentium perfecta et imperfecta.

cclxxix. Officia absoluta gentium perfecta sunt vel imperfecta; atque hæc vel noxiæ utilitatis, vel innoxia, eaque ipsa activa, aut passiva. Utrumne innoxia sint utilitatis, penes gentem est definire, quæ præstare debet illa officia.

cclxxx. Primum se offert jus æqualitatis gentium, ejusque consecraria. Civitate disjunctas gentes jungit Ecclesiæ unitas; quæ memorabile inter politicum et ecclesiasticum statum discrimen inducit.

cclxxxi. Ex æqualitate gentium libertas earundem et independentia profluit.

cclxxxii. Inter gentes, tanquam morales personas, conservatio individui et membrorum cogitari potest. Et quoniam jura et media conservationis tam arcte definiri nequeunt, ut soli necessitati serviant; idcirco *perfectio* nihil videtur esse, nisi latior quidam conservationis gradus.

cclxxxiii. Ad conservationem et perfectionem pertinet

sufficiens copia rerum, quæ appositæ ad vitam humanam sunt.

cclxxxiv. Eodem pertinent commercia inter gentes,

cclxxxv. Eorumque libertas.

cclxxxvi. Existimatio, gloria, fides maxime in personas etiam morales cadunt.

cclxxxvii. Uti et officia quæ perfectionem mentis, et sacrosanctam religionem attingunt.

cclxxxviii. Ex cultu imperfectorum officiorum mutua gentium benevolentia efflorescit. Secus jus retorsionis habet locum.

CAPUT III.

Jura et officia gentium circa dominium et proprietatem rerum.

cclxxxix. Quidquid in jure privato de connato singulis occupandi jure, deque ipsa occupatione: quidquid de dominio rerum proveniente ex facto occupationis et occupandi jure tanquam justissimo titulo: quidquid de consecrariis dominiis et acquirendi modis derivativis demonstratum est, totum id, quatenus ex jure profluit naturali, ad gentes est transferendum, quæ iisdem juribus non modo utuntur, sed eminentiore etiam ratione utuntur; quia singulorum jura et vires in civili imperio colliguntur, corroborantur, efficaciora sunt.

cclxxx. Ad occupationem opus non est consensu aliarum gentium: non occupatur, nisi res nullius: quodque ejusmodi est, ut sit exhausti usus, utque in potestatem redigi et viribus physicis teneri possit.

cclxxxxi. Non inelegans hic enascitur quæstio de dominio maris, utrumne illud

cclxxxii. Et quatenus clausum sit,

cclxxxiii. Aut liberum.

cclxxxiv. Ad consecraria dominiis inter gentes referendum est jus territorii. Inde diversa bonorum temporalium denominatio et partitio intelligitur; de qua supra facta est mentio.

cclxxxv. Alia dominiis consecraria recensentur. Leges

Romanæ, quæ ad transferendum modis derivativis dominium, ut res tradatur, exigunt, a simplicitate naturalis juris recedunt.

CCLXXXVI. Præscriptionis vis ad transferendum dominium, utrum a natura sit, an secus; in negotiis gentium citius cernitur. Fit sæpe, ut naturali juri tribuantur a scriptoribus ea, quæ qualemcunque præ se ferunt æquitatem, et ob id legibus positivis constitui solent, ac VV. Jcti Romani nomina naturalis ac gentium juris fere miscuerunt, quorum notiones hodie evolvuntur, segregantur, accuratius figuntur. Si qua lex determinat media, quæ per naturam determinata non sunt, etsi per naturam sint conducibilia ad propositos fines, ea non continuo pro naturali lege habenda est. Ac si præscriptio apud plerasque etiam gentes vim habet, quemadmodum et consuetudinum auctoritas, non protinus ipsas inter se gentes ea afficit et constringit.

CCLXXXVII. Etsi præscriptio vim a natura non habeat; dubium tamen non est, quin divina sapientia de remedio juris providerit, quo jura summorum principum firmentur, et si quod in prima regni acquisitione irrepsit vitium, id progressu quodam temporis sanetur.

CAPUT IV.

Jura et officia hypothetica gentium orta ex pactis, et foederibus.

CCLXXXVIII. Generalia de pactis privatorum principia applicanda sunt ad gentes.

CCLXXXIX. Jus paciscendi gentibus competit. An christianis cum infidelibus?

CCXC. De valore pactorum inter gentes, et exceptione metus non rara est, nec levis controversia. Ex notione gentis, et natura mediorum, quibus utitur ad sui conservationem, aliter fere de gentibus, ac privatis est disserendum.

CCXCI. Materia pacti nec moraliter nec physice impossibilis evadat, necesse est. Pacta etiam inæqualia robur habent.

CCXCII. Pactorum ac foederum inter gentes varia est partitio.

CCXCIII. *Sanctum* dicimus in disciplina naturalis juris, quod ut immune penitus ab omni violatione sit, communis salus postulat. Sancta igitur inter gentes foederum et pactorum fides est; tum quod non ineantur, nisi de rebus summi momenti, tum quod sine gravissimis multorum incommodis violari non possint. Huc pertinet notio de existente *casu foederis*.

CCXCIV. Pactiones accessoriæ inter gentes quoque locum habent, ac nonnullæ quidem unice propriæ gentium, ceu guarantia, obstagium.

CAPUT V.

Jura Belli gentium proprii.

CCXCV. Notio belli primum ventilatur; rectene in statu per vim certantium collocetur, ut aliud privatum sit, aliud publicum, utrumquæ justum, vel injustum.

CCXCVI. Magna inter cruentam privatorum defensionem, et gentium bella analogia est. Jus ad finem dat jus ad media, non quæcunque; nam leniora præferenda sunt; dein jura necessitatis sunt strictæ interpretationis. Demum inter jus, et prudentiæ regulas distingui necesse est. Nam *quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt.* Luc. XIV. v. 31, 32.

CCXCVII. Jus belli sublatum non est lege divina positiva. Differt autem a recto usu juris.

CCXCVIII. Deductio ejus juris ex principiis naturæ palam facit esse bellum reparativum, defensivum, assecuratorium.

CCXCIX. Nullum autem punitivum.

CCC. Appositus hic est locus insignia corollaria, maximeque usus deducendi de nexu, et cavendi jure.

CCCI. Alia est disquisitio de modo ac forma belli, ceu de genere armorum, de jure in personas, et res hostium.

cccii. Considerandæ etiam sunt gentes belli sociæ, auxiliatrices, naturales. Nempe alia est causa principalis, alia accessoria. Conf. §. xxxv.

CAPUT VI.

Jura victoriæ, pactorum bellicorum, et pacis.

ccciii. Victoria universalis est, aut particularis: sola non efficit, nec demonstrat jus.

ccciv. Si titulus acquirendi subest, jura victoriæ attingunt hostium personas, jura publica civitatis. Idea juris postliminii.

cccv. Fides data etiam hostibus servanda est; cum ea obligatio ex natura humana profluat, statu hostili non tollitur. Id pertinet ad inducias bellicas et pacificas, id est armistitium, ad literas comæatus, pacta deditio- nis, seu capitulationes.

cccvi. Ab his demum venit ad pacem, seu pacificatio- nem; in qua insunt alia communia omnium pactorum: alia propria soli pacificationi, quæ vim transactionis habet: stabilitatem poscit: Amnestiam continet: et inter personas liberas, nulli subjectas communi judici, con- cluditur.

cccvii. Illud commune pactorum, ut primo quærat de jure concludendi pacem:

cccviii. Dein de consensu:

cccix. Denique de materia, sive iis, quæ pacificatione comprehenduntur.

cccx. Unde intelligitur ejus effectus; qui firmari potest pactis adjectitiis, e. g. garantia. Contraria est ruptura pacis.

CAPUT VII.

Jus legationum inter gentes.

cccxi. Uti status naturalis et originarius singulorum hominum societatem aliorum non excludit; ita nec sta- tus liber et naturalis gentium. Ea societas refertur ad communicationem rerum et operarum: quæ aliquando

juris perfecti, creberrime imperfecti: nonnunquam solius decori rationem habet. Porro communicatio ista sine tractatu non fit, nec fere tractatus sine legatis.

cccxii. Inde patet necessitas, et legati notio, quæ arctior est, quam notio procuratoris tantum, aut solius officialis. Ex quo character repræsentatitius elucet. Alii a legatis sunt *agentes, deputati, commissarii.*

cccxiii. Jus legationum a natura tributum est genti- bus. Rejectio legatorum aliquando juri perfecto gentium, fere imperfecto, non raro soli decoro repugnat.

cccxiv. Legatorum sanctitas.

cccxv. Eorum libertas et exemptio a potestate gentis, ad quam missi sunt.

INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

LIBER V.

JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM.

CAPUT I.

Ecclesia Christi inde ab origine sua est una, sancta, catholica, et apostolica.

cccxvi. **Q**UÆCUMQUE sit definitio *nominalis* Ecclesiæ; rei ipsius definitio arbitraria non est. Eo nomine sæpe veniunt coetus orthodoxi solum particulares: aliquando hierar- chæ, qui Ecclesiam repræsentant, uti imperans civitatem. Maxime vero ea denotatur Ecclesia, de qua ex symbolo fidei profitemur: *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.*

cccxvii. Ecclesiæ origo divina est, vi cujus hæc, quæ